


Ratio suadet . et Justicia exigit . ut fidelibus nostris . iuxta nostram imperialem clemenciam . que maxime Imperatorem et principem decet . potiora semper beneficia impendamus . illis precipue . quos fide sincera . et preclaris operibus circa honorem Imperii clarescere cognovimus . Eapropter cognoscant vniuersi fideles imperii . presentes et futuri . qualem gratiam huic nostro fidei . Cōnrado . qui dicitur de prato . pro suo fidei seruicio . indulsumus et contulimus . uidelicet . quod nos ex nostra largitione . allodium illud . quod uulgo dicitur pratvm . quod etiam dilectus patruus noster HENRICVS . dux Austrię in feudum ab imperio habuit . et nobis libere resignauit . predicto Cōnrado proprietario iure dedimus . et cum omni honore . et pertinentiis . atque cum plena vtilitate . libere et proprie donauimus . Illud autem allodium totum scilicet pratvm supradictum . his terminis in circuitu distinguitur et clauditur . ab vna parte per riuum qui uocatur Sweckanth . ab altera parte per danubivm usque ad villam que Manswerth appellatur . Preterea cum tanta libertate predictum prati allodium ei donauimus . ut in eo edificandi quicquid voluerit . uel faciendi exinde quod ei placuerit . dandi scilicet aut vendendi . Et etiam infeodandi . uel in quoslibet vsus suos habendi . plenariam et liberam ipse habeat potestatem omnium hominum contradictione remota . De cetero . huius prati et allodii donacionem . quam in supramemoratum fidelem nostrum Cōnradam fecimus nostra imperiali auctoritate confirmauimus et ut verius credatur atque ab omnibus inuolabiliter conseruetur . presentem paginam conseribi . et nostri impressione Sigilli iussimus insigniri . Confirmamus etiam eidem fidei nostro Cōnrado has duas siluulas . vnā que vocatur albrah . et alteram que dicitur cygeyswierth ;

·; SIGNVM . DOMINI . FREDERJCI . ROMANORVM . IMPERATORIS . INVICTISSIMI ;

Ego Vricus cancellarius vice domini Reinaldi.



Vollkommen gut erhaltenes Siegel des Kaisers eingedruckt, von ungefärbtem Wachse.